

aliquid per modum dispositionis, præparans ipsum ad unionem prædictam; & hoc est lumen quo intellectus perficitur ad videndum Deum per essentiam divinam. Hæc autem dispositio non potest esse naturalis alicui creato intellectui: ultima enim dispositio ad formam secundum eandem rationem recipitur in perfectibili, & forma ipsa; ita quod si unum est naturale, & aliud: quia perfectibile per ultimam dispositionem ad formam contingit ipsam formam. Forma autem, quæ est divina essentia, omnem facultatem, & capacitatem naturalem excedit. Potentia enim, & proprius ejus actus semper accipiuntur in eodem genere: unde potentia, & actus dividunt quodlibet genus entis, ut patet in III. Phys. text. 111. & ideo facultas, sive potentia creaturæ non se extendit nisi ad sui generis formam: & sic essentia divina, quæ est extra omne genus, excedit naturalem facultatem cujuslibet intellectus creati: & ideo dispositio ultima, quæ est ad unionem intellectus cum tali essentia, excedit omnem facultatem naturæ: unde non potest esse naturalis, sed supra naturam: & ista dispositio est lumen gloriæ, de quo dicitur ibi Psalm. xxxv. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Secundum autem naturalem facultatem potest intellectus creatus pervenire ad cognitionem Dei per formas creatas ei inditas, vel acquisitas; sed hæc cognitio (6) non est visio ejus per essentiam, sicut ex dictis patet: nec per eam scitur quid est, sed solum quia est, & quid non est.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli in prima sua conditione non viderunt Verbum per essentiam; viderunt tamen per similitudinem creatam, quæ est ipsa natura eorum, quæ est Dei similitudo; & hoc, sive ponantur creati in gratia, sive non, dummodo non ponantur creati in gloria: unde & cognitio vespertina qua seipsos cognoverunt in propria natura, præcessit in eis cognitionem matutinam, qua cognoscunt res in Verbo: quod patet ex hoc quod primus dies habet vespere sine mane.

Ad secundum dicendum, quod diabolus non dicitur Deo assistisse, quasi ipsum per essentiam viderit, sed quia à Deo visus est, & ad eum Dei providentia se extendit, sicut ad bonos Angelos, per modum quo dicitur, illa nobis præsto esse quæ nostræ providentiæ subjacent: unde æquivoce sumitur assistere.

Ad tertium dicendum, quod aliquid potest esse per se magis intelligibile, quod tamen est minus intelligibile intellectui alicui: quod de nostro intellectu manifeste apparet. Facultas enim intellectus nostri determinatur ad formas sensibiles quæ per intellectum agentem fiunt intellectæ in actu, eo quod phantasmata hoc modo se habent ad intellectum nostrum sicut sensibilia ad sensum, ut dicitur in III. de Anima, text. xxx. & ideo oportet quod in omne illud quod intellectus noster intelligit, naturaliter manuducatur per formas sensibiles, ut etiam Dionysius dicit de div. Nom. cap. 1. & quia substantiæ separate, quæ sunt per se maxime intelligibiles, excedunt genus formarum sensibilibus; ideo intellectus noster invenitur debilis ad cognitionem earum: propter quod dicit in II. Metaph. lect. 1. D. Thom. quod intellectus noster se habet ad manifestissimam naturam, sicut oculus nocturæ ad solem. Facultas autem naturalis intellectus angelici, quamvis non sit determinata ad formas sensibiles, est tamen determinata ad formas creatas quæ sunt sui generis: & ideo sicut intellectus noster deficit à cognitione substantiarum separatarum; ita & multo amplius deficit intellectus angelicus secundum

(6) Al. dicit non.

dum suam facultatem naturalem à visione Dei per essentiam. Dicitur autem Commentatoris intelligitur de intelligibilibus creatis.

Ad quartum dicendum, quod intellectus creatus non impeditur ad hoc quod naturaliter possit Deum per essentiam videre ex defectu divinæ essentiæ, quod de se non sit intelligibilis in actu, sed ex parte ipsius intellectus creati. Primo propter defectum ipsius intellectivæ virtutis creatæ, cujus naturalis facultas est determinata ad ens creatum. Hic tamen defectus aliter est in Angelo, & in homine, secundum sua naturalia considerando eos. In intellectu enim Angeli non invenitur aliquis defectus secundum rationem sui generis, sed secundum comparisonem ad intellectum qui est extra genus suum, scilicet divinum: habet enim omnem perfectionem quæ debetur generi intellectus, in quo non continetur nisi intellectus creatus: intellectus enim increatus est extra genus. Sed intellectus humanus patitur defectum etiam secundum rationem sui generis: quia in eo est lux intelligibilis obumbrata: unde dicit Isaac, quod ratio oritur in umbra intelligentiæ. Secundo propter absentiam intelligibilis. Quamvis enim divina essentia sit cuilibet rei præsens, non tamen est præsens cuilibet intellectui, ut forma intelligibilis: quod tunc solum accidit quando in intellectu est dispositio sufficiens ad hoc quod sit unibilis divinæ essentiæ ut formæ intelligibili. Tertio propter excessum claritatis divinæ essentiæ supra formam qua intellectus creatus naturaliter intelligit: & sic per consequens deficit intellectus creatus à videndo Deum per essentiam, quamvis immensitas divinæ essentiæ intellectum non corrumpat, sed magis confortet.

Ad quintum dicendum, quod ad cognoscendum Deum per aliquam similitudinem creatam potest intellectus creatus ex suis naturalibus pervenire; sed hæc cognitio non est visio Dei per essentiam, ut supra probatum est.

Ad sextum dicendum, quod effectus retinet similitudinem suæ causæ, & ex hoc sequitur quod intelligentia naturaliter cognoscat causam suam ex similitudine ejus quam habet; sed hoc non est videre Deum per essentiam, ut dictum est.

Ad septimum dicendum, quod non quidquid superadditur creaturæ, potest esse de constitutione naturæ ipsius. Illud enim quod ad proprietatem naturæ superioris pertinet, non potest communicari inferiori naturæ, ut illud naturaliter habeat, nisi transferatur in superiorem naturam; sicut diaphano non potest communicari ut absente lucido, luceat, nisi ipsum lucidum fiat, quamvis lumen ei à corpore lucido communicetur. Determinari autem ad formam intelligibilem increatam est proprietas intellectus increati: & ideo lumen illud per quod intellectus unitur formæ intelligibili increatæ, communicari potest intellectui creato, sed non ut ipsum lumen naturaliter habeat, nisi in naturam intellectus increati transferatur; quod est impossibile.

Ad octavum dicendum, quod etiam si nullus intellectus intelligeret divinam essentiam nec per naturam, nec per gratiam, divina essentia non esset frustra intelligibilis: tum quia ipsa seipsam intelligit: tum quia non est propter aliud: frustra autem non habet locum nisi in his quæ propter aliud sunt, ad quod non pertingunt.

## ARTICULUS VII.

*Utrum Deus in statu viæ possit per essentiam videri.*

I. P. q. xii. art. 2. III. cont. Gen. cap. lxxvii. de verit. q. x. art. 11. & quodl. 1. art. 1.

1. Ad septimum sic proceditur. Videtur quod Deus in statu viæ possit per essentiam videri. Quia dicitur Isai. vi. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: & plena erat omnis terra majestate ejus, & Seraphim clamabant.* Sed ille cujus majestate omnis terra impletur, est ille qui essentialiter est Deus. Ergo Isaias vidit Deum per essentiam in statu viæ existens.

2. Præterea. Videre Deum facie ad faciem, est videre Deum per essentiam, ut patet I. Corinth. xiiii. sic enim beatam visionem Apostolus nominat. Sed Jacob in statu viæ existens vidit Deum facie ad faciem: unde dicit Gen. xxxii. 30. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Ergo aliquis in statu viæ potest videre Deum per essentiam.

3. Præterea. Job xlii. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Visus autem est de rebus presentibus, auditus autem de absentibus. Ergo postquam Job cognoverat Deum quasi absentem per auditum, adhuc in hac vita existens vidit Deum quasi præsentem per essentiam.

4. Præterea. De Moyse dicitur Num. xii. 8. *Palam, & non per ænigmata videt Deum.* Sed omnis visio Dei est vel per ænigma, vel per essentiam, ut patet I. Corinth. xiiii. Ergo Moyses in statu viæ existens, vidit Deum per essentiam.

5. Præterea. II. Corinth. xii. super illud: *Raptum hujusmodi usque ad tertium cælum,* dicit Glossa ex Augustino XII. sup. Gen. ad litt. cap. xxviii. quod Deus ostendit Apostolo vitam, in qua videndus est in æternum; & ita ad hoc raptus est Apostolus ut ipsum Deum in se, non in aliqua figura videret: & infra dicitur, quod in tertio ordine Angelorum sunt Throni, Cherubim, & Seraphim, qui vicini Deum contemplantur; ad quorum similitudinem Deum vidisse dicitur Apostolus. Ex quibus omnibus aperte ostenditur quod ipse vidit Deum per essentiam; & sic idem quod prius.

6. Præterea. Secundum Augustinum XII. super Gen. ad litteram, cap. xxxi. visione intellectuali videntur ea quæ sunt in anima per sui essentiam. Sed visio intellectualis est de rebus ipsis intelligibilibus non per aliquas similitudines, sed per suas essentias, ut ipse dicit. Ergo cum Deus per suam essentiam sit in anima viatoris, videtur quod per essentiam suam ipsum videat.

7. Præterea. Affectus magis est corruptus per peccatum quam intellectus: quia peccatum in voluntate est, ut dicit Augustinus Lib. I. Retract. cap. xv. Sed affectus potest immediate diligere Deum in statu viæ. Ergo & intellectus potest immediate videre Deum.

8. Præterea. Omne illud immediate videtur per intellectum ad quod intellectus se convertit sine hoc quod convertatur ad aliquid aliud. Sed intellectus viatoris potest converti ad Deum sine hoc quod convertatur ad aliquid aliud. Ergo intellectus viatoris potest immediate videre Deum.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. corruptibili. (2) Nicolai: & rursum ibi Glossa.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Lib. de spiritu, & anima cap. xi. hæc habentur; *Mentem dicimus ita factam ad imaginem Dei, ut nulla interposita natura ab ipsa veritate formetur.* Augustini tamen non est hic Liber. (1)

9. Præterea. Illud per quod judicamus de aliquibus, oportet esse nobis magis notum quam illa. Sed secundum Augustinum in Lib. de vera relig. cap. xxx. secundum veritatem increatam de omnibus judicamus, ipsam de omnibus consulentes etiam in statu viæ. Ergo ipsam veritatem videmus. Sed veritas increata est divina essentia. Ergo in via Deum per essentiam videre possumus.

10. Præterea. Propter quod unumquodque, & illud magis, I. Post. cap. 11. Sed omnia quæ cognoscimus, cognoscimus per lumen divinum, quod est ipsa divina essentia: quia, ut dicitur in Lib. de spiritu & anima, cap. xii. mens nostra in actum cognitionis exire non potest, nisi divino lumine perfundatur. Ergo ipsum Deum per essentiam videmus magis quam aliquid aliud.

11. Præterea. Secundum Augustinum (a) Lib. VII. super Gen. ad litteram cap. xiiii. mens nostra à Deo nulla interposita creatura formatur. Sed in omni mediata visione aliquid interponitur. Ergo & in hac vita mens nostra immediate videt Deum.

12. Præterea. Per quamlibet scientiam speculativam cognoscitur de subiecto quid est. Sed Deus in aliqua scientia speculativa est subiectum, vel saltem in parte alicujus scientiæ, sicut in Theologia, & in Metaphysica, quæ etiam de Deo est, ut patet in principio Metaph. Ergo per aliquam scientiam speculativam scitur de Deo quid est: & hoc est videre ipsum per essentiam. Ergo cum omnes scientias speculativas possumus habere in via, Deum in statu viæ per essentiam videre possumus.

13. Præterea. Nihil impeditur nisi à suo contrario. Sed corruptio corporis non contrariatur dispositioni intellectus, cum non sint in eodem. Ergo dispositio intellectus non impeditur per corporis corruptionem. Sed anima in corpore (1) incorruptibili existens videbit Deum per essentiam. Ergo & corpori corruptibili juncta potest Deum per essentiam videre.

Sed contra est quod dicitur Exod. xxxi. 20. *Non videbit me homo, & vivet:* Glossa Gregorii Lib. XVIII. Moral. cap. xxviii. *Quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturam suam speciem non potest.*

Præterea. Joan. 1. 18. dicitur: *Deum nemo vidit unquam:* Glossa Augustini: *Nemo purus homo vivens in hoc corpore videt Deum ut est.*

Præterea. II. Corinth. v. 6. *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem:* (2) Glossa: *Homini vitam mortalem adhuc agenti non potest contingere ut dimoto, atque omni discusso nubilo phantasmatum, corporalium serenissima incommutabilis veritatis luce potiat.*

Præterea. Esse viatorem, & comprehensorem est solius Christi. Sed quicumque videt Deum per essentiam, est comprehensor. Ergo nullus alius à Christo adhuc viator existens, potest Deum per essentiam videre.

Præterea. Posita causa ponitur effectus. Sed causa quare anima beata sit, est divina visio ut ex dictis patet. Si ergo aliquis in statu viæ Deum per essentiam videat, in statu viæ erit beatus; quod est absurdum.

Xx 2 SO-

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum beatitudo sit ultimus finis rationalis creaturæ, status viæ in qualibet rationali creatura dicitur esse ille in quo à beatitudine deficit. Beatitudo autem cuiuslibet rationalis creaturæ consistit in visione Dei per essentiam, ut ex dictis patet. Operatio autem delectabilissima, in qua beatitudo consistit, oportet quod sit potentia disposita, & perfecta ad dignissimum objectum, ut patet per Philosophum in X. Ethic. cap. iv. vel vi. & ideo ad hoc quod creatura rationalis sit beata per visionem Dei in essentia sua, oportet quod in hac visione sit potens per aliquam dispositionem sibi inhaerentem, quam dicimus esse lumen gloriæ. Sic autem nulla pura creatura in statu viæ existens videre potest Deum per essentiam: homo enim per dispositiones omnes quas in statu viæ habet, non potest in aliquid amplius, nisi ut intelligat quicquid intelligit per species à sensu abstractas: quia phantasmatæ sunt intellectui nostro ut sensibilia sensui, ut patet per Philosophum in III. de Anima, text. com. xxxix. Intellectus etiam Angeli in statu viæ per omnes dispositiones naturales, vel etiam gratias non potest in aliquid amplius nisi ut intelligat omne quod intelligit per formas creatas, ad quas naturalis facultas intellectus ejus determinatur, ut ex dictis patet. Deus autem in essentia sua videri non potest nec per aliquam formam à sensu abstractam, nec per aliquam formam creatam, ut ex dictis patet. Unde patet quod nullus intellectus puræ creaturæ in statu viæ existens potest in visionem Dei per essentiam per aliquam dispositionem sibi inhaerentem. Sed contingit aliquando divina virtute quod aliqua res miraculose perducitur in aliquid in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhaerentes, sicut quod virgo pariat, quod ignis in aqua comburat: & similiter potest miraculose fieri quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositionem viæ eleuetur ad videndum Deum per essentiam, nec tamen ex tali visione potest dici beatus simpliciter, sed secundum quid tantum, in quantum scilicet communicat in actu beati: sicut etiam aliquod corpus in statu gravitatis existens, potest miraculose participare actum agilitatis, vel impassibilitatis; sicut de Habacuc legitur Daniel. ult. & de tribus pueris conservatis in fornace, Daniel. viii. nec tamen eorum corpora erant gloriosa. Ea autem quæ sunt miraculose, non dicuntur possibilis secundum naturam in qua fiunt, sed secundum virtutem facientis tantum. Non enim dicimus, proprie loquendo, quod cæcus possit fieri videns, sed quod Deus potest eum facere videntem. Et ideo dicendum est, quod nulla pura creatura in statu viæ existens potest Deum per essentiam videre; sed Deus potest facere quod videat adhuc in statu viæ manens. Ex dictis etiam patet quod nullus homo in statu viæ essentiam Dei, nec etiam Angeli potest cognoscere: quia excedit omnes formas sensibiles, per quas intellectus noster in statu viæ cognoscit, & ipsam mentem nostram, ex cuius similitudine aliquid de substantiis intellectualibus cognoscimus.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Dionysium iv. cap. cælest. Hierar. per hoc quod in Scriptura dicitur, quod aliquis Sanctus vidit Deum, ut Isaias, vel quilibet alius, non est intelligendum

(1) Al. deest apparuisse. (2) Al. deest vel. (3) Al. causatam.

quod essentiam Dei, quæ est omnibus viatoribus occulta, viderit, sed quod ostensæ sunt eis aliqua forma vel corporales, vel imaginariæ, per quas manducebantur in Dei cognitionem; & hoc fiebat ministerio Angelorum, quorum illuminatione confortabatur intellectus Prophetarum ad perveniendum in aliqualem divinorum cognitionem ex apparentibus formis. Et quia Angelus non intendebat ducere in sui cognitionem principaliter, sed in cognitionem Dei, ideo in huiusmodi visis non dicebatur Angelus apparere, sed Deus, ex cuius persona apparebat Angelus, & ex cuius virtute efficaciam habebat ad illuminandum mentem: & hoc vocatur *theophania*, id est Dei apparitio, in Scriptura. Quandoque tamen & Angelus dicebatur ille qui apparebat propter ministerium quod exhibebat: unde Gregorius dicit (præfat. in Lib. Moral. cap. i.) *Angelus qui Moysi (1) apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur: Angelus, quia exterius loquendo deservit; Dominus, quia interior præsidens loquenti efficaciam tribuit.* Et hæc est etiam sententia Augustini II. de Trinit. cap. xvii. & xviii.

Ad secundum dicendum quod visio illa Jacob fuit imaginaria, (2) vel corporalis. Dicitur tamen vidisse faciem ad faciem, quia illa figura in qua ei apparuit Deus faciem ad faciem est ab eo visa; unde dicit Glossa ibid. *Non quod Deus videri possit, sed formam vidit in qua Deus locutus est ei.* In hoc tamen quod dicit: *Faciem ad faciem*, notatur quædam eminentia visionis: ut enim dicit Rabbi Moyses, gradus prophetiæ distinguens, eminentior est gradus prophetiæ, quando Prophetæ apparet aliquid in visione vigiliæ, quam si appareat in dormiendo: & utrobique modo si fiat revelatio, eminentior gradus est quando apparet ille qui loquitur in aliqua figura visui, quam quando auditur locutio ejus tantum sine hoc quod aliquid videatur. Eminentior quoque gradus est, si ille qui loquitur apparet in figura Angeli quam in figura hominis. Et hanc eminentiam habuit apparitio Jacob: quia non fuit in dormiendo, sed in vigilando: nec tantum audivit vocem secum loquentis, sed etiam figuram inspexit, hominis tamen. Unde dicitur, quod apparuit ei vir, &c. quem Angelum intellexit; & ad hanc eminentiam designandam dicitur, quod vidit Dominum faciem ad faciem, Angelum Dominum vocans ratione jam dicta. Non potest dici secundum Glossam Gregorii ibidem, quod hoc intelligatur de visione spirituali, quam Sanctorum mentes etiam in via vitii purgata Deum contemplantur adjunctæ divino lumine quo perfunduntur: secundum quam quidem visionem quamvis divina natura ut est, non videatur, quia illud lumen receptum non est similitudo sufficienter representans divinam essentiam, ut supra dictum est; tamen aliqua perfectior cognitio de Deo habetur, cum illud lumen sit expressio ejus similitudo quam lumen naturæ, aut creaturæ sensibilis, ex quibus homo naturali cognitione ducitur ad Dei cognitionem. Nisi enim illam, scilicet veritatem (3) increatam, utrumque conspiceret, non eam se conspiceret non posse sentire, ut in eadem Glossa dicitur. Et quia per faciem quemlibet cognoscimus, cognitionem Dei faciem vocamus.

Ad tertium dicendum, quod verbum Job potest intelligi de visione imaginaria, & intellectuali. Si enim intelligatur de imaginaria, designatur profectus Job in gradu prophetiæ, cum primo non fuerit ei

fac-

facta revelatio nisi per auditum loquentis, postmodum vero per visionem loquentis. Si autem intelligatur de visione intellectuali, tunc ostenditur profectus ejus de cognitione fidei in intellectum divinorum, qualis hic per contemplationem prædictam habetur à Sanctis; quæ quidem visio dicitur: quia sicut videndo aliqua cognoscimus, ab ipsis rebus accipiendo, ita Sancti in contemplatione accipiunt lumen ab ipso Deo, per quod divina aliter cæteris contemplantur; sed audita cognoscimus assentiendo eis qui ab ipsis rebus species acceperunt, dum nobis referunt se vidisse: & similiter per fidem adhererunt dictis Apostolorum, & Prophetarum, qui fuerunt divino illustrati. Et sic non oportet ponere quod Deum per essentiam viderit.

Ad quartum dicendum, quod duplex eminentia visionis Moysi adscribitur. Una Exod. xxxiii. 11. ubi dicitur; quod loquebatur Dominus Moysi faciem ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Ex quibus tamen verbis haberi non potest quod Deum per essentiam viderit; quod patet ex hoc quod perit dicens, ibid. xviii. *Ostende mihi gloriam tuam:* quod ei tunc concessum non est: unde dictum est ei, ibid. xx. *Faciem meam videre non poteris:* & ideo dicit Glossa ibidem: „Secundum opinionem populi loquitur „Scriptura, quæ putabat Moysen ore ad os loqui „cum Deo, cum per subjectam creaturam, id est „per Angelum, & nubem, ei loqueretur, & „apareret.“ Hæc autem locutio potest intelligi fuisse imaginaria, vel corporalis: unde dicit Augustinus II. de Trin. cap. xvi. *Locutio illa quæ fiebat vocibus, sic modificabatur tanquam esset amici loquentis ad amicum.* Potest etiam intelligi esse intellectualis, secundum quod intelligibilia divinorum inspiciebat per modum quo dicitur in Psalm. xlviii. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et utroque modo ostenditur privilegiata ejus revelatio, in quantum familiaris cæteris ei sua secreta revelavit, quasi amico, juxta illud quod dicitur Joan. xv. 15. *Vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis:* & ideo dicitur Deuter. ult. 10. *Non surrexit ultra Prophetæ in Israel quem nosset Dominus faciem ad faciem.* Alia eminentia visionis Moysi ostenditur Num. xii. 8. ubi Dominus de eo dixit ad Aaron, & Mariam: *Ore ad os loquor ei, & palam; non per ænigmata, & figuræ Deum videt, vel gloriam Domini,* secundum Septuaginta; ubi ostenditur impleta fuisse ejus petitio, qua petiverat in Exod. xxxiii. 18. *Ostende mihi faciem tuam:* ita quod ante mortem Deum per essentiam vidit, ut Augustinus dicit XII. super Gen. ad litteram, cap. xxvii. & in Libro de videndo Deum, cap. xii. & ideo signanter dicitur: *Ore ad os loquor ei;* quod in Exod. dicitur non fuerat: quia visio Dei per essentiam non fit (1) mediante aliquo superiori spiritu; sed ipse Deus immediate se ostendit: & hoc est loqui ore ad os: non enim os corporis, sed os mentis intelligendum est, ut Augustinus dicit (ubi supra.) Sed visio contemplationis viæ fit mediante illuminatione Angelorum, ut patet per Dionysium iv. cap. cælest. Hierar. & ideo non potest dici secundum illam loqui ore ad os, sed loqui quasi per internum. Hæc tamen visio qua ante mortem Deum per essentiam vidit non fecit eum beatum simpliciter: unde nec semper illa visio in eo permansit, sed ad tempus, quamvis illud tempus in Scriptura non determinetur: non enim erat ex dispositione in intellectu existente, sed

ex sola divina virtute quasi miraculose, ut dictum est. Quando autem natura creata miraculose elevatur ad aliquid supra naturam, non potest simul esse in contrario actu, sicut corpus Petri cum miraculose acrum dotis agilitatis habuit super undas ambulando, non simul erat in eo actus gravitatis, qui est ferri deorsum. Et similiter quando intellectus viatoris elevatur miraculose ad videndum Deum per essentiam, non potest simul esse in actu visionis viæ, qua anima naturaliter sensibilia percipit: & ideo oportet in illo statu animam videntis omnino ab actu sensuum abstrahi: & ideo Augustinus dicit XII. super Gen. ad litteram (cap. xxvii.) quia Deum per essentiam nemo videre potest, nisi ab hac vita quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive aversus: & alienatus à sensibus carnalibus: & simile dicit in Libro de videndo Deum: & sic non est contrarium ei quod dicitur Exod. xxxiii. *Non videbit me homo, & vivet.* Unde Gregorius ibidem dicit in Glossa, ex Lib. XVIII. Moral. cap. xxxvii. vel xxxviii. *A quibusdam in carne viventibus, sed inastimabili virtute crescentibus potest æterni Dei claritas videri; non tamen videbit eum homo, & vivet: quia qui sapientiam, quæ Deus est, videt, huic mundo funditus moritur.*

Ad quintum dicendum, quod in illo raptu Paulus hoc modo vidit Deum per essentiam, sicut & de Moysæ dictum est, ut per Augustinum in Lib. de videndo Deum, & XII. super Gen. ad litteram, ut idem privilegium Doctor gentium, & Magister Judæorum consequerentur. Quamvis quidam dicant, quod huiusmodi visio fuit media inter visionem viæ & visionem patriæ, volentes quod non viderit Deum per essentiam, sed eminentissima contemplatione viæ; cuius tamen contrarium videntur sonare verba Sanctorum. Secundum hoc tamen potest dici fuisse media inter utramque cognitionem, quia in hoc quod vidit Deum per essentiam, fuit supra cognitionem viæ; in hoc vero quod ex illa visione non fuit simpliciter beatus, fuit infra cognitionem patriæ.

Ad sextum dicendum, quod visio intellectualis est de his quæ sunt in anima per sui essentiam, non quocumque modo, sed de his quæ sunt in ea ut formæ intelligibiles in intellectu. Sic autem non est Deus in anima viatoris per essentiam suam, sed per similitudinem. Quod autem dicitur ab Augustino quod visio intellectualis est earum rerum quarum similitudines non sunt aliud quam ipsæ, est referendum ad objectum visionis, non ad medium quo videtur. Constat enim quod medium quo intelligitur lapis, est species ejus in anima, quæ non est ipsa lapidis essentia; sed per similitudinem lapidis pervenit ad cognoscendam ipsam essentiam lapidis: quia objectum intellectus est quid, id est rei essentia, seu quidditas. Sed hoc non contingit in visione imaginaria, vel corporali: quia objectum imaginationis, vel sensus non est ipsa essentia rei, sed accidentia quæ sunt extra, sicut color, & figura, & huiusmodi. Unde etiam in visione intellectuali viatoris non oportet quod ipsa divina essentia sit medium quo videtur, sed quod per similitudinem aliquam ipsius perveniat ad aliqualem divinæ essentia cognitionem, non qua sciatur quid est Deus, sed qua sciatur quid non est. Vel dicendum, quod Augustinus XII. super Genes. ad litteram, unde verba illa sumuntur in Glossa II. Corinth. xii. inducit hoc ad ostendendum differentiam intellectualis visionis ad alias visiones. Hoc enim intellectualis præ aliis habet quod potest cognoscere ea quæ

quæ

(1) Al. immediate.